

1654

Ill/me et Rev.ss/me D'ne obss/me

Litterae ab Ill/ma Dominatione vestra, superiori anno 1614 conscriptae redditae mihi sunt hoc mense Decembris hujus anni 1615 ex quibus quanto affectus sim gaudio, illi potissimum erit perspicuum, qui tertio abhinc anno novit, quanto moerore consternatus fuerim, ex eo quod scirem, quaedam de me ad Ill/mam D/em V/am fuisse delata, quae a veritate non parum deflectebant; aegro enim me animo ferre par erat, apud Ill/am D.V. amantissimum Parentem et Dominum non bene audire; quod si hoc in meum tantummodo dedecus redundasset, tristitiam utique animi mei perpetuo contegissem silentio; sed cum cognoscerem in animarum id avergere perniciem, Ill/mam D.V. non bene de Madurensi Missione sentire, eo modo quo potui per litteras me apud Ill/mam D.V. purgare curavi; sed si quid tristitiae fuit mihi elapso anno, id omne per has litteras cumulatam mihi consolationis impendentes fructum, satis superque sublatum est, et quidem licet pergratum fuerit mihi, Ill/mae D.V. perspicuum fuisse, qua ratione me gesserim in Madurensis Missionis negotiis, potiori tamen iure, ex eo sum gavisus quod Archiepiscopi Cranganoris et nostrae Provincialis congregationis multorumque Patrum peritorum virorum de hac re sententiam Ill/ma D.V. cognoscens, illa quae ex horum sententia licere, et ad hominum conversionem omnino necessaria esse experientia docet, Ill/mae D.V. auctoritate perpetuo stabilienda sperem. Caeterum has ego litteras, ex Urbe Cocinensi scribo, ad quam quibusdam de causis superiori mense veni, a P. Provinciali vocatus, sed ob id praecipue, quia sperabat idem P. ex Responsione N.P. Generalis res omnes ad Missionem Madurensensem spectantes hoc anno ultimo stabilendas fore, atque adeo quia non nisi praesente me de iis rebus PP. consulere instituebat, huc me venire jussit. Non paucis afflictatus angustiis iter hoc confeci, quas Benignissimus Dominus per hos ipsos ethnicos interdum mitigabat, qui mei misericordia permoti non solum nos recipiebant hospitio, sed quae mihi et duobus meis christianis

/ Brachmanibus ad victum necessaria erant, tanquam pauperibus et peregrinis advenis benigne suppeditabant, quibus prout sese offerebat occasio monita salutis impendere non destiti. Semel in eo versatus periculo sum, in quo absque dubio me moriturum sperabam, et cum nihik huc usque decertaverim ad coronam a Christo evocari exoptabam, licet desiderium hoc meum ex eo maxime retardabatur, quod scilicet viderem incoeptum hoc negotium in gloriam Dei non esse huc usque absolutum. Veritatem fateor amantissimo Parenti meo et Domino. Exopto quam maxime immensas has regiones in baculo meo perlustrare, /0 et hos innumeros populos generare Christo, in quibus Donec Christus formetur, quid gaudii servis ejus esse possit ignoro, quibus mos est tunc tantum satiari cum in iis quibuscum versantur gloria Domini apparet ex fidei et gratiae fulgore profecta. Ill/am D.V. iterum atque iterum enixe rogo, ut me filium suum et servum in suis sanctis /5 sacrificiis et orationibus commendatum habeat, ut quae in me beneficia Dominus confert agnoscam ne ingrati animi crimine existam reus. Quare humiliter et ut sum absens genuflexus exposco ut Ill/a D.V. cum has perlegerit litteras mihi servo suo et filio in Domino optatissimam elargiatur benedictionem. Ex urbe Cocinensi sexto Kalendas januarii 1615. 20

Ill/mae Dom/is V/ae

Indignus servus et filius in X/pò

Robertus<sup>+</sup> Nobilis

(&amp;adresse):

25 Ill/mo et R/mo D'no observant/mo D'no Roberto Cardinali Beilarmino  
P/a Via Romae